
...nes Carolus
...ensis et Jamb.

Staroolscii Simonis: Panegyricus Illmo ac Rmo D. Jo. Carolo Comiti Conopacio etc dedicatus.




PANEGYRICVS

Illustrisimo ac Reuerendissimo
S. R. IMPERII PRINCIPI
D. IO: CAROLO
COMITI CONOPATIO
Episcopo Varmiensi, & Sambiensi

Cathedram suam auspicatissimè ingredienti, inter tot faustas gratulantium apprecationes.

A SIMONE STAROVOLSCIO
DEDICATVS.



X.

VENETIIS, MDC XXXXIIII.

Ex Typographia Ducali Pinelliana.
Superiorum Permissu.


BIBLIOT. UNIV.
JAGELLONICAE

PANEGYRICVS.



TSI nullis comparationibus vnquam Epiſcopalis honor, & ſublimitas adæquari poteſt, Illuſtriſſime Princeps, ac Reuerendiſſime Antiſtes, tuis attamen virtutibus, & meritis in vtraque Repub. luculentiſſimis, nuperrime collatus, anguſtiorem quandam in animis hominum, quam per ſe ſit, abſolutiſſimi Præſulis, ac Principis effigiem imprimere videtur. Illæ ſiquidem tecum natæ, & cæleſti quodam influxu magnæ menti inſitæ, vt nihil infra ſe maius Pontificia dignitate, Senatoriaq; purpura agnoſcunt, ita externas opes, minora ſcilicet humanarum laudum adminicula, vt orbi innoteſcant, minimè quærunt. Hæc verò tam aſſidua, & ampla, vel maleuoli cuiuſuis iudicio, eminentiorem ſibi locum deberi cenſentur, recenti Præſuleæ dignitatis acceſſione: Quod ex ea non tam accepiſſe te ornamentum, quàm Epiſcopæ illi dediſſe claritudinis incrementum, vniuerſi ferè exiſtiment. Hæc enim tua dignitas eſt, Antiſtes Illuſtriſſime, amplitudinem tuam & gloriam, maiorum tuo-

rum exemplo, ſuis non alienis velle ſplendeſcere coloribus; præclariſſimaq; in Rempub. & Eccleſiam promerita, non ex verbis æſtimationem, ſed ex communi bono, pondus & authoritatem habere. Quapropter ita hactenus vixiſti, vt cum eſſes doctrina, virtute, atque nobilitate maximus, videri attamen nolles; neq; turpi efflagitatione, vt mos aulicorum eſt, eminentiora loca peteres, ne honorum acceſſione creuiſſe videreris. Ibas via illa regia, qua boni ſolent: non ambitionis contentione; ſed virtutis ac dignitatis: non aſtutia & adulatione, ſed meritis, & fiducia: vt non aliud te velle eſſe declarares, quàm quod Numen Supremum de te ſtatuiſſet. Nam ſicut mundi pars ſuperior & ordinatior, nec in nubem cogitur, nec in tempeſtatem impellitur, nec verſatur in turbinem; ſed omni prorſus tumultu caret: ita ſublimis, & à natura ipſa ad honeſtatem conformatus animus tuus, quietus ſemper, & in ſtatione tranquilla collocatus, modeſtus, venerabilis, & compoſitus; nec aſperitatibus terreri, nec vlla vtilitatis ſpecie à recto auocari poteſt. Magnanimitate igitur iſta tua, & generoſitate perſpecta, Antiſtes, & Senator Ampliſſime, extenuare laudes tuas fortaſse videbor cuiquam, dum exornare

cona-

conabor; vt perinde verborum coloribus exprimi possit, quod depingitur moribus; effingi simulachris, quod spirat in actibus; mutis committi paginis, quod personat linguis; memorari à me solo, quod celebratur ab omnibus. Ergo tacendum forsitan erit? Nequaquam. Sed iusti silentij huius leges, te perhumaniter ferente lubens perfringam, & dum alij plurimi in tuis attollendis, in Patriam, & Ecclesiam promeritis, insudabunt; ego Magnanimitatem tuam, Prudentiam, Comitatem, atque Religionem, incondita licet oratione, strictim ac modicè persequar. Quibus tu Heroicis virtutibus tuis, ita excellens & mirabilis viuis, vt non domi modò, sed apud exteros etiam, non tacito consensu, verùm aperta omnium voce, sempiternæ memoriæ commenderis.

Et cur non faciant? nam sicuti non improbare vitia maligni est, ita inuidi, non approbare virtutem; præsertim viri eiusmodi, cui patria non obscura, progenies non ignobilis, familia non pudenda, domus non sordida, mores inculpati, vita sine crimine, fama apud probatissimos viros sine macula. Quo scilicet animus velut diuinæ stirpis fiduciam gerens, ad illustris famæ decus eo magis, & ad perennem laudem ex be-

nefa-

nefactis optimè speratam anhelet. Indignum itaque putarem non admirari virtutes tuas, & merita, Præsul Amplissime, gloriamq; tuam, eo quòd præsens sis, quasi sacietate quadam languescere. Cum & præsentis laudes, quæ parcè & pudicè, atque sine fallacia afferuntur, à sapientissimis viris non increpentur; & is qui laudatur præsens, eas viua attestatione corroboret. Omittam igitur Poloniæ, quæ tibi nobiscum Patria communis est, laudes non silendas & encomia: cum omnibus in aperto est, vt popolus Sarmaticus ad armorum tractionem paratas habet à natura manus, animos magnarum rerum capaces, industriam ingentibus cæptis parem. Non minor est in sermone venus, in iocis hilaritudo, in gestu gratia, in totius corporis motu decentia. Nec Prussiam tuam in qua primum aerem hausisti elogijs efferam: cum itidem vnicuique notum sit, in quantam natus sit ille populus animorum alacritatem. Quanta sit illis ingeniorum perspicacia, solertia, promptitudo. Vbicumque illa intenderint, ibi valent: mercaturam, mœchanicasue artes exercere, litteras, aut rem militarem tractare, in re omni, cui animum operamq; adijcere placeat, propitia Minerua versari. Sed nec progeniem tuam com-

me-

memorare volo, quæ cùm nobilissimas quasque Regni Poloniæ familias affinitatibus, & cognationibus complexa sit, tùm verò rerum fortiter gestarum gloria, ac præstantibus in Repub. meritis, longè multas alias prætergressa est, nulli inferior. A multis siquidem sæculis in Germania, magnorum virorum parente, & altrice orta, Bohemiam primò multiplici sua prosapia fæcundauit; postmodum in Borussiam, Crucigerorum Teutonicorum auspitia secuta, velut surculos quosdam vetustæ claritudinis transmisit, ita vt plurimi ex eis commendatorum titulos (qui honor in Ordine illo Militari præcipuus erat) rebus præclarè, & fortiter gestis promeruerint. Exstincta demum factione illa Crucigerica, & Prussia vniuersa in prouinciam redacta, florentissima Conopatiorum stirps, cupidine veræ virtutis, & gloriæ incensa, in fide & patrocinio Regum Poloniæ constantissimè mansit, tulitq; continua serie viros Reipub. innumeros ferè, qui incredibili sua virtute, ac fortibus ausis, factisq; insignia Patriæ suæ ornamenta pararunt. Præcipuè autem, Nicolaus ille Conopatius, Toparchiæ Camiensis, Legionisq; Regiæ, circa Annum redditæ salutis, trecentesimum quinquagesimum, supra mille, togata æquè ac sagata pru-

dentia illuſtris Præfectus. Quid Laurentius frater eius, Suecenſis Territorij Prætor celeberrimus; qui erga Principem obſequium, erga Rempub. officium, erga vtrumq; fidem, pacis & belli tempore tenuit? quiq; ad amplificandam vtriuſque gloriam, vires contulit, quas potuit, & communem fortunam ſuæ fortunæ anteferre haud recuſauit. Mathiam verò Tribunum militum fortiſſimum, & Virginis Mariæ cultorem deuotiſſimum quomodo memorem? qui caſtra Regia ſecutus, in pugna illa Choinicenſi, parum propitiam fortunam expertus, non niſi Diuæ Diuarum ope, quam pio ſemper affectu venerabatur, e manibus hoſtium elapſus eſt. Nam ſicut prouidi patres, non patiuntur eos filios otioſos eſſe, quos ad liberales diſciplinas, & ad vitæ decus natos cognoſcunt, & illis plerunque quorum certior ſpes eſt, plus laboris imponunt, & exercitatione ſudorem, nonnunquam etiam plagis lachrimas excutiunt: ſic Superi interdum fortes animos aduerſis probant, eoſq; docent dura ac difficilia non formidare, & ſeſe cum fortuna luctando, ac pugnando exercere, vt egregia contentione, quid eorum virtus valeat poſſint oſtendere. Hinc & Conopatij Comites, aduerſo illo prælio, in quo poſſeſſionum

ſua-

ſuarum magnum ſenſere detrimentum, non deſponderunt animum vt ignaui, ſed ad alia ex alijs aſſiduè ſuſcipienda pericula incitabantur, vt viri bellicoſi. Prædictuſq; Matthias ad Regem Cazimirum Iagellonidem, è carcere hoſtili reuerſus, vti militem fortem & conſtantem decebat, iterum ad bellicos labores verſus, filium quoque vnicum cognominem ſibi, diuerſis peregrinationibus excultum in commilitium aſſumpſit. Quem deinde ſapientiſsimus Princeps pro meritis titulo honeſtiſsimo Vexilliferi Pomeraniæ exornauit: ac tandem Albertus Rex Succamerarij Culmenſis honore inſigniuit. An præteribo Ioannem Conopatium Pruſsiæ primò Theſaurarium & Mariæburgi Logotetam? deinceps Epiſcopum Culmenſem, humana contemnere ſolitum? eaq; conſtantia præditum, vt caſus omnes deſpicere, nulli homini, nulli fortunæ ſuccumbere, altiorem animum habere, quàm vt obrui ijs, qui in hac vita ſunt, fluctibus poſsit, facile queat. Similiter & Georgius Palatinus Pomeraniæ, & Raphael Caſtellanus Elbingenſis, germani fratres, qui iuniori in ætate non gregarij milites, aut caſtrorum vani ſpectatores, ſed Tribuni, ſed Primipili, ſed Triarij, agminum ductores, & Phalangum Præfecti, ſub

Carolo V. in Africa, Melita, Algerio & Tuneto: alijsq; diuersis Europæorum populorum locis, rebus præclare ac fortiter gestis floruerunt. Æmulati virtutem maiorum suorum, qui sub Gottifredo Bullionio, in Syria atque Palæstina, nobilem ex armis gloriam quæsiere. Nil dico hic de Andrea Canonico Culmensi, atque Varmiensi, optimis literis & linguarum diuersarum peritia illustri. Nil de Georgio Conopatio Stoæ Christianæ Philosopho, vitæ innocentia, & morum sanctitate notissimo. Tum quoque de Fabiano Decano Posnaniensi, apud Clementem VIII. Leonem XI. Et Paulum V. Pontifices Max: inter Prælatos domesticos loco honorato constitutum. Solus mihi Mathias Pater tuus ad exemplum sufficit, qui Conopatiæ virtutis & gloriæ ex asse hæres, egregia indole sua, Borussiam vestram illustrauit. Quodq; acer militiæ, & sub Stephano Rege fortissimo cohortium ductor, & alæ equestris Præfectus fuisset; idcirco Satrapiæ Culmensis à Sapientissimo Rege Sigismundo III. Palatinus appellatus, & à Rudolpho II. Cæsare Germanico, Sacri Imperij Romani Comes, Anno Salutis communis, Millesimo sexcentesimo decimo, creatus, paucos intra menses, meliori consilio ad statum spiritualem ani-

mum conuertit, & Paulo V. Pontefice Maximo, eius pietati fauente, Tiaram Præsuleam assumpsit; eiusdemq; Culmensis Satrapiæ Episcopalem dignitatem assecutus est : Hic vt conterraneis suis Luterano errore infectis præluxerit, vt Sanctè ac innocenter vixerit, vt Numen Diuinum assiduè litando placauerit, hodiedum populi illi suspirijs ab imo pectore editis attestantur, dum inter colloquendum Conopatium Episcopum memorant. Floruit illo Præstite Catholicæ Religionis decor, quia & Christus in eius corde ita refloruit, vt nihil nisi eius honorem, tam in sago, quàm in toga sectaretur. Enimvero, vt dies face nusquam indiget ad illuminandum nostra terrena, ita nec pietas laude ad sui commendationem. A se clara est semper; & quia Deum spectat, omnem in se bonitatem continet. Et hinc est, quod summo istó in Deum affectu plenus, sustulerat animum à terra, & velut numinis capacem, æternę sapientiæ radijs miscens, miram quandam in sermone comitatem, in vultu benignitatem, in gestu decentiam, in frænandis cupiditatibus moderationem, in capiendis consilijs prouidentiam, in obeundis denique negotijs dexteritatem perpetuò asseruabat. Hoc tu Parente Clarissimo, hac familia natus amplissima, Anti-

ſtes Illuſtriſsime, ita te comparaſti, vt animum virtute, vultum modeſtia, vitam honeſtate ornares: dignaq; magno ſanguine indole præditus, vltro tibi legem indiceres probitatis, innocentiæ, continentiæ, virtutumq; omnium Heroicarum; nihil ita probro haberi exiſtmans, quàm inter tot ſpectatiſsimas maiorum imagines degenerem eſſe. Nam ita ferè natura comparatum eſt, vt qua in familia multi præclari virtuteq; ac rerum geſtarum gloria inſignes viri floruerint, ex eadem qui ſunt, eorum veſtigia cupidiſsimè perſequantur. Proinde, omitto alios tuæ inclytæ proſapiæ viros illuſtres enumerare, quos illa continua ſerie alijs cognominibus inſignitos, affatim Reipub. tulit. Omitto agnatos & conſanguineos, toto Poloniæ Regno ſparſos, qui itidem incredibili ſua virtute, ac fortibus auſis factiſq; inſignia Patriæ ſuæ ornamenta pararunt. Cum ſolius Conopatię domus decora, non tam ad inanem titulorum auitæq; virtutis iactationem, quàm potiùs ad incitamentum egregiæ indoli tuæ relictam, videam, ad ea te ſtudia primo ætatis flore concitaſſe, quæ immortalem gloriam parare conſueuerunt. Adeò enim nihil exile moliri magnus animus poteſt, vt minori adhuc ætate, & minoribus curis incumbens, tantus

iam tum appareat, quantus olim esse debeat. Tuaq; prima adolescentia, Præsul Amplissime, insignes statim dotes, & quibusvis summis honoribus pares exhibuit: cum scientiarum optimarum disciplinis excultus, & diuersarum linguarum, tractandorumq; armorum peritia instructus, florentissima quæquæ Europæ gymnasia perlustrares. Et non eruditione modò ac litteris varijs celebres viros cognosceres, sed militari quoque gloria illustres, & togata simul prudentia conspicuos, in Italia, Gallia, Belgio, Germania, Anglia, Melita, atq; vltima Iberia familiarius adires, genium pernosceres, mores, instituta, leges, indolem vnius cuiusque, ac diuersarum aularum consuetudines connotares, seseq; inde ad acutum decus magis ac magis exaugendum comparares. Redux igitur in Patriam, non desidiæ deditus inter domesticos parietes delituisti, non ignauiæ inter consalutantium vota seruire proposuisti, non turpi veterno torpens inter adulantium voces commarcuisti: sed salutatis obuiam charissimis quibusvis, mox in Aulam te Sapientissimi Regis Sigis. III. splendido instructus comitatu contulisti inq; illa grandi vrbanitatis, & ingeniorum periclitandorum officina, elegantia morum, pietate vitæ, suauitate dicen-

di,

di, animi generoſitate, ita omnium animos tibi comparaſti, vt & Procerum amicitiam, & Principis gratiam, facilè demereris. Nec immeritò ſanè; contemnebas enim ignaua pectora, quæ animas ſine motu, ſine ſpiritu, ſine vigore gerunt inutiles. Eos vero inquibus virtus, vel tenui ſignificatione apparebat, diligebas vt fratres, illuſtriores obſeruabas vt parentes; in quibus autem illa durioribus negotijs eniteſcebat, Venerabaris vt Deos quoſdam terreſtres: ipſe eorum exemplo dediſſem facilitatem aſpernando, maximoq; ſudore arduum laudis adnitendo. Curia ſiquidem Sapientis Megiſtanis eſt, publicæ mentis & ſalutis templum, ſedes ſummi conſilij palæſtra iuſtitiæ, ſchola ſapientiæ, contubernium virtutis, officina ſanctitatis, theatrum amplitudinis, moderatio officiorum, vnde velut à fonte omnis Reipub. proſperitas dimanat. In ea tu, quidquid doctrinæ, virtutum, & ſapientiæ, velut è mercatu aliquo è diuturna peregrinatione attuliſti, tanquam in theatro quodam Orbis noſtri Sarmatici demonſtraſti. Quodq; adhuc ad perfectionem animi aſſequendam a te deſiderabatur, ex aſſidua illa conuerſatione cum ciuibus patriæ, legatis extraneis, aulicis Regijs, militibus, & magnatibus quibusvis, feliciter hauſiſti. Inde

enim

enim menti prudentia, inde ſenſibus recreatio, inde litteris nitor, cum in Regia varijs varia tractantibus, è diuerſisque Regni prouincijs, & vicinis Principibus, negotiorum cauſa venientibus, multa videris, multa audieris, multa didiceris: quę vel ſola, & nuda, & ſcientiam addunt, & iudicium limant. Excitatur enim animus, & neſcio quomodo maior ſeipſo fit, rerum ſublimium aſpectu, alienæ felicitatis progreſſu, Ptincipis fauore, & cuiuſque meritorum incoram approbatione. Tot igitur annis ea in occupatione inſumptis, vidiſti vaferrima aulicorum adulatorum ingenia, conſideraſti verſatilem rebus in agendis prudentiam, ſuſpexiſti abſtruſa iudiciorum momenta, ſtudia variorum varia, & incrementa ingenio penetraſti. Atque tuam demum virtutem cunctis ſpectandam exeruiſti, auſpiciaq; Diui olim Sigiſ. III. vtroque Reipub. tempore ſecutus, inſigni dexteritate, fortitudine, prudentia, Religione, & animi magnitudine in Regia & caſtris eluxiſti, fidem & induſtriam tuam probaſti: & quos nuper aſſecutus es honores, pridem excellenti tua dignitate promeruiſti. Sed vel Moſchouitico bello exorto, cum fortiſſimus Rex Smolenſcum biennali obſidione expugnaret, peragraretq; cum exercitu victorioſo abdita Ruſſiæ

illius,

illius, vltra Tanaim & Obiam sitæ. Hunc tu, tuis cum manipulis militum secutus, vtriusque fortunæ, quam Deus dederat, particeps fuisti; eximiumq́; illud tuæ magnanimitatis, ac fortitudinis experimentum dedisti, veteranorum more, in hostico solo, alieno tempore, hyeme summa, inimico & tempestuoso cælo, ad omnem aeris inclementiam obdurari, ventis, pruinæ, & imbribus obluctari, & in horas de vita & capite sue-tus dimicare. Fuisti igitur non tantum spectator & testis periculorum, sed etiam socius & particeps, quæ ab hoste occurrebant, aduersitatum. Sed te vbique tua pietas saluauit, tua innocentia protexit, sincerusq́; veri Dei cultus, quem à maioribus tuis accepisti, hactenus etiam sanum, incolumen, & florentem conseruauit. Cuius beneficio quisque probus sui vilitatem perpendit, exilitatem examinat, & ad rerum cælestium contemplationem citius erigitur. Hæc si cui propria est, tum tibi maxime, Antistes Illustrissime, à quo commilitones tui & amici discere solebant, & vitæ integritatem in lubrico aulæ, & dogmatum veritatem, illa hæreseos plena tempestate. Cæterùm, qui suarum omnium actionum iudicem ac spectatorem Deum esse cogitat, is nihil impiè, nihil scelerate facit nihilque

turpe

turpe cogitat; sed cælitum præstantiam æmulatus, placando Numini humilem animum in pectore gerit, supplex illud adorat, expiat pænitudine delicta: liberalitateq; egenos, munificentia amicos, profusaq; largitione in sacra & sacrorum mystas bonorum suorum, cælum mercatur, & in bonis beneficia fæneratur. Hac virtute Regia maiores tui conspicui fuerunt, qui triginta diuersis in locis templa sumptu magnifico erexerunt, quinquaginta, & amplius dotarunt; Hac desiderabiles thesauros in cælis sunt consecuti; Hac in patria illa superna gloriam æternam sunt adempti. Hac Beata Virgo Iutta, ex illustri sanguine tuo prognata, nil sibi de bonis maternis & suppellectili reseruando, vniuersa proprium reduxit ad meritum; & sanctimonialium cathalogo adnumerata, per pietatis lucra, quæ vobis de liberalitate nascuntur, promeruit in Sanctarum Virginum Ordinem, post obitum transcribi. Quos tu omnes non degenere animo, Præsul Amplissime imitatus, sacris & prophanis, extraneis & terrigenis, in patria & extra eam constitutus, liberali animo eleemosynas largiris, munera distribuis, beneficia confers, perq; liberalia fasta clarus consurgis, non plus suo quam Diuino honori adaugendo prospi-

ciens. Cuius æterna diſpoſitione, tibi proficit quidquid inopi contuleris. Tibi creſcit, quicquid in pauperes erogaueris. Tibi conducit, quicquid in Amicos & clientes ſparſeris. Atque ita verſa vice fit, vt dum nummos liberali manu tribuis, diuitias accipis; dum terram porrigis, cælum promereris; dum micas ſpargis, totum ex aſſe poſſides: & neglecta vtilitate pecuniæ, acquiris nobiles theſauros famæ.

Vidit hoc Magnus ille ingeniorum Cenſor, Sigiſmundus Tertius Poloniæ Rex, & te pro illuſtribus tuis meritis, Regia clementia proſequi cupiens, Dibouienſi Præfectura cohoneſtauit, egregiamq́; tuam indolem, ac animum, magnis conatibus ad verum gloriæ decus aſpirantem, Philippo III. Catholico Regi, cum in Hiſpanias abires peramanter commendauit; tuamq́; ſingularem, in florida illa adoleſcentia tua, conſtantiam ſerio contemplatus, lubens libensq́; approbauit, cum te Magnorum Principum, vniuerſorumq́; Regum Europæ fauores, iterata peregrinatione promeruiſſe inaudiuit. Quid nobilium, & politioris litteraturæ virorum? qui te paſſim & vbique, veneratione magis proſequebantur, quam laude, inſignes dotes tuas penitius ſpeculantes. Et qui parem te ſummis qui-

busvis honoribus, adeò destinate coniectabantur, vt quod vulgo iudicium ex euento ferri de rerum hominumq; magnitudine consueuit, de te ante omnes euentus ferri potuerit. Neque enim nunc primum miramur in te, quæ videmus, aut mensuram tui capimus ab extraneo honorum accessu. Pridem hoc iter Orbitæ ingressus, ad summa quæquæ contendisti. Pridem inter Regalis Aulæ curas, Patriæ ac Principi tuam industriam, tuum ingenium, & constantiam probasti. Dedistiq; specimina fidei, probitatis, ac prudentiæ tuæ, quæ Diuo olim Ferdinando II. Imperatori Romano ita placuere, vt mittens in Poloniam Oratores suos, negotia curæ eorum commissa, tibi communicata esse voluerit; animiq; sui singularem in te propensionem, luculentissimo litterarum suarum testimonio comprobauerit. Quid de grauissimo, & Sanctissimo Pontificis Pauli V. iudicio dicam? qui te diuina præsagitione in magnum præsidium splendoremq; cum Ecclesiæ, tum Reip. prouidebat futurum? Quid de Vrbano VIII. qui te equestris dignitatis hominem tunc, toties familiarissimè allocutus, optabat sua ætate, suoq; tempore, sacris initiatum in castris Ecclesiæ videre? Præsertim cum te animaduerteret, ea prudentia, ea ma-

gnanimitate in Aula versari, & omnes viuendi actiones ita formare, vt primùm honore dignus esses, deinde existimarere. Cum reliqui omnes, vanæ gloriæ studentes, multa ad pompam, pauca ad veritatem loquerentur; & vulgari opinione, sumptuosa magis conuiuia mirarentur, splendidaq; indumenta, & opulentiam probarent, quàm bonam mentem, & litteras politiores. Hinc plurimi vano fastu inflati, amicitiam in beneficijs, humanitatem in blandiloquio, sinceritatem in simulatione collocare consueuerunt. Multosq; ambitio ad honores magnos, cupiditas ad opes ingentes, intemperantia ad quærendas per vim & scelus possessiones, stimulabat ac prouehebat. Adulatio quoque, vetus in orbe malum, quæ in Aulis præcipuè regnat, facit vt omnino difficilis accessus ad honores & magistratus semper illis fuerit, qui recto & candido animo, negotia tam Principis, quàm Patrię obibant. Inualitq; pridem pestis hæc cunctos hominum Ordines, vt facile muneribus & minis, amore & odio moueantur, atq; de bona mente deturbentur, vtq; eum apud Principem extollant, quem minime extollere deberent, eum probent, quem vitia deturbant ac fædant. Et quisque mortalium, hac maxime labe exagita-

tur, vt quamuis nullo virtutis choro ſtipatus ſit, honorem ſibi quaſi debitum exigat. E contra, celeberrimus quiſque, Genio aut ingenio, ad prodendam virtutis memoriam, ſine gratia & commendatione cuiuſque, ſine ambitione & faſtu, bonæ tantum conſcientiæ præcio ducitur, & Supremi remuneratoris Dei, de ſe effatum expectat. Ita tu Antiſtes Illuſtriſſime feciſti, & Regij Pſaltis illud *Dominus ſollicitus eſt mei* regio animo identidem ingeminans, non promotione cuiuſquam aut fauore, non ſcelerata aliqua inter ciues factione, aut ambitu ſuperbo, vel inuerecunda efflagitatione, ſed Numine illo cæleſti ita diſponente, eum in modum Sapientiſſimo illi Regi Sigiſ. III. placuiſti, vt te ſummorum in Europa Principum ore collaudatum, Sanctiſſimiq; Vicarij Chriſti iudicio probatum, Filio ſuo natu maiori, Sereniſſimo Vladiſlao, qui nunc feliciter Imperij Sarmatici habenas moderatur, abeunti extra Regnum, prudentem ac iucundum comitem daret: vt pote eum, qui ad omnem humanitatis rationem factus, inter iuuenes comis inter ſenes grauis, inter litteratos doctus, inter diſertos facundus, inter facetos vrbanus, inter prudentes denique ſapientiſſimus, in comitatu Sereniſſimi Principis compareres, & facilitate in-

genij tui, Alcibiadem illum Græcum, Polonus extraneis populis repræsentares. Non potuit enim præstans illa tua, & laudatorum hominum sermonibus virtus laudata occultari, vt in tanti Regis considerationem non veniret: & tametsi liuor ex surgenti ad insignem gloriam famæ tuæ opponi videbatur, non afferebat nihilominus tantùm opposito suo detrimenti, quin tua prudentia semper matura, & planè virilis, perrumperet obsistentia inconsultæ inuidentiæ impedimenta. Præsertim Serenissimo Rege Vladislao IV. sceptra Sarmatica adgubernantem: Qui vt rerum potitus est, mox te Charissimo olim Fratri suo, Principi Alexandro, exterorum regiones perlustrare cupienti, itidem ducem itineris, paterna imitatione dedit. Non alium aptiorem, quenquam, moderatorem illi attribuendum existimans, præter te, Antistes Amplissime, qui summa quæquæ sibi pollicenti, & ad Orbem regendum nato, non dubitares id Scipionis Africani crebris vsurpare sermonibus, se quoque à prima ineuntis ætatulæ teneritudine, esse enutritum, atque educatum, ad maxima in Repub. honorum fastigia. Quod equidem munus humeris tuis impositum, ea fide, diligentia, solicitudine, toto peregrinationis tempore egisti, vt nec labor,

nec vigilantia, nec fidelitas, eo in munere, dextrè & grauiter obeundo, à te requirerentur vnquam. Proinde iterato te Inuictissimus Rex, alteri Fratri suo charissimo, Principi Cazimiro, in Hispanias abeunti, adiunxit, & summæ præesse voluit: etsi parum felici omine, maleuolentia eorum, & fraude, qui olim candore præ alijs gloriabantur, præpediente. Vbi tum denique tua inuincibilis eluxit constantia, animi robur, & solida virtus, quæ licet vbique & semper, in omnibus tuis actionibus resplendebat, hic attamen diuersa attrita fortuna illustrior apparuit, cum te nec cæca cupiditatis spes, nec præmiorum amor, nec immensum auri pondus, in contrarium abripere potuerunt; sed forti pectore, & candore Polonico, Principi tuæ curæ commisso adhærens, maiori profectò & paccatiori animo, aduersæ fortunæ sustinuisti tela, quàm cæteri benigniores afflatus ferre potuerunt: Fauit huic tuæ constantiæ, tuæq; solicitudini Magnus Rex noster Vladislaus IV. & Aristocratico iudicio Aulicorum, promerita tua toties iam exagitata, tandem clementia regali vindicare voluit, affectum monstrauit, probatæq; virtuti tuæ, viam ad honores aperuit, quò ne magni quidem nisi summis conatibus euaserunt. Et tu quidem ipse diu iam

euasisses, si aut præmijs augeri maluisses, quàm meritis: aut ordine inuerso. Voluisses magis cupiditati studere, quam virtuti. In præmijs siquidem reponebas mereri præmia, atque hanc honorificentissimam tui nominis laudem reputabas, laboribus anteire alios, qui honoribus præirent.

Cæterum oportuit tam sublimem animum, tot decorum capacem, non profanis tantùm Patriæ curis exerceri, ne eius amplitudini videretur deesse, si ciuilibus tantùm negotijs, veluti limitibus angustis clauderetur. Iniuriam quæri potuit Ecclesia, si te sola ciuilis Respub. ita tenuisset, vt solicitudini sanctiori admoueri nollet, quem dignitas & virtus, diu non in summo tenere erubescebat. Igitur paterno, auitoq; exemplo, baltheo militari deposito, Expræfectus Abbatiam Vonchensem primo, Sedis Apostolicæ iussu administrasti; neque ita pius esse in Patriam voluisti, vt careret Ecclesia officijs religionis tuæ. Cum vero te diuinitus latiorem in campum merita vocarent, vetustissimo Tinecensi Cænobio Benedictinorum, Præses datus, magnum hoc solatium orbitatis Cisterciensibus, quos primò regebas dedisti, meminisse virtutis ac dignitatis tuæ; teq; memoria perenni animorum circumferre,

ferre,

ferre, non ſolùm doloris lenimento, verùm
etiam exemplo probitatis. Denique quod diu
bonorum omnium deſiderijs ac votis certatum
eſt, vt quod ſummum terra Boruſſia haberet, tuę
celſitatis deferretur, Sereniſſimus Rex Vladislaus
IV. Diuina ſic ordinatione diſponente, animo
liberaliſſimo præſtitit. Et cùm nihil maius in il-
la florentiſſima Prouincia haberi poſsit, quod
menſuram tuæ magnitudinis adæquet, quam
feciſſe te Varmienſem Epiſcopum, à Romanis
Imperatoribus Ducali præeminentia, à Regibus
verò Poloniæ, Senatoria dignitate, & Primatis
Pruſsiæ titulo decoratum, Regia clementia in-
dulſit. Vt beneficentiam, quam in te libera-
lem Diuus progenitor ſuus Sigiſmundus III. eſſe
voluit, ipſe veluti hæreditate relictam, tibi con-
ferret. Neque illud alio quam Diuino conſilio
factum exiſtimem, ſingulares impenſas merito-
rum, non prius illuſtria honorum retuliſſe deco-
ra, tametſi pridem referre merebantur, quam
duorum Regum iudicio id tibi deferri, quod om-
nium votis poſtulabatur. Quare licet innume-
rabiles Conopatios omnium virtutum comita-
tu inſtructos reperias, qui ſuam vetuſtiſsimam
proſapiam, altricem Senatoriæ dignitatis in
Pruſsia, ad hæc vſque tempora claram, & illu-

ſtrem conſeruauerint, tu tamen vel imprimis eam ita exornas & amplificas, vt meritò dicendus ſis Senator, Pontifex, Princeps: ſapiens, probus, magnanimus: mente, vita, factis. Quodq́; olim Titus Veſpaſianus ob ſummam benignitatem & modeſtiam, Amor & Deliciæ generis humanis habitus eſt. Hoc tu potiori iure, Amor & Deliciæ Poloniæ tuæ dici mereris: quia hunc ipſum ſuperaſti, ſumma in Deum religione, in Patriam pietate, innocentia vitæ, amore virtutis, bonorum tutela, litteratorum patrocinio, morum grauitate, atque in omnes denique beneuolentia & humanitate ſumma. Macte igitur his tantis virtutibus tuis, Præſul Ampliſſime, & Cathedram tuam, quæ te diu expectabat, ingredere omine fauſto. Perge bonis auſpicijs, in ampliſſimum hunc dignitatis & honoris gradum, quem tibi virtutes & merita tua, ardentiſſimis bonorum omnium votis, atque concordibus Boruſſorum tuorum ſuffragijs deſtinarunt, atque tandem in hoc ſublime Principis & Præſulis deduxerunt Auguſtal. Recrea tua amæniſſima præſentia, Sedem illam Varmienſem olim Magnorum Epiſcoporum domicilium, & doctiſſimorum virorum ſacrarium, an ſeminarium? Vbi Magnus ille Theologiæ Candidatus, lumenq́; &

colu-

columen ſanctitatis olim præſidebat Staniſlaus Hoſius Cardinalis. Vbi Ioannes Dantiſcus, in tota litteraria re peritiſſimus: & cuius diuina quędam Poeſis non obſcænos Suffenos, aut triobolares Mæuios olet, ſed magni & puri pectoris opus, à Numine ipſo inſpiratum. Quid de Martino Cromero, Liuio noſtro Sarmatico dicam? Quid de Tidelmano Giſſio, omnium ſcientiarum cognitione diuite, & monumentis Philoſophicis illuſtri? Quid de alijs Antiſtitibus veneradæ Sedis huius, meritis ac virtutibus, Regiaque purpura conſpicuis? Quid de venerabili Collegio Canonicorum, vbi Theologos Doctiſſimos, Iuriſconſultos clariſſimos, Medicos expertiſſimos, Philoſophos acutiſſimos, Hiſtoricos & Oratores diſertiſsimos, perpetuò quidem reperias. Sed quos inter Thomas Treterus, & Nicolaus Copernicus, Aſtrorum cognitione, & ingeniorum ſolertia, vel cum antiquis illis Chaldæis, aut Ægyptijs comparandi patrum noſtrum æuo enituere. Quorum tu pios Manes veneratus, dum tui quoque pectoris diuitias, inter tot fauſtas gratulantium apprecationes exeres, ipſa Diua Diuarum, cuius patrocinio viuis, & cuius honori Ædes illa Varmienſis primaria dicata eſt, benignè annuente, implebis omnium te ſummopere de-

ſiderantium vota, langueſcentium animos exſcitabis, ſquallentium mentes recreabis, exhilarabis Clerum, templa ad ſplendidiſsimum nitorem reduces, aras exornabis, populumq; vniuerſum ingenti animi expectatione detentum, feliciſsimo tuo aduentu mirificè oblectabis: cum te diuinorum arcanorum Præſidem, cuius olim virtutes mirabatur celeberrimas, nunc ſuſpiciet, gloriosè tanta dignitate ornatas. Nos interim Supremo omnium ſoſpitatori votis noſtris ſupplicamus, vt tua vita, tua virtute, & beneficentia quàm diutiſsime fruamur; quia tuam felicitatem, noſtram propriam recognoſcimus eſſe. Tibi igitur dum honoris ſolemnem iſtam acceſſionem gratulamur, omnium noſtrum communem incolumitatem per hoc ſtabiliri indicamus. Dum tua præconia celebramus, in nos omnes diu deſideratam fauſtitatem, & lætitiam redundare videmus. In tua namque ſalute, ſalus ſita eſt gregis tibi commiſsi, Religionis Orthodoxæ conſeruatio, Legum conſtantia, Pietas proborum, ſanctitas & integritas Sacerdotum. Libertas denique & felicitas omnis vniuerſæ Pruſsiæ incolarum: Qui tuæ ſapientiæ, fidei, authoritati, atque tutellæ, non modo templa, altaria, & ſacram religionem, ſed vitam & ſalutem deniq;

ſuam, ſuaq; omnia committunt, Atque inuicem ſibi lætiſsimis acclamationibus congratulantur, quod eum nacti ſunt Præſulem, in quo mira elucet humanitas, in quo reſplendet, rerum agendarum cana prudentia; apud quem plena omnia deuotionis, pietatis, manſuetudinis, charitatis: qui denique omnes fabilitate, lenitate, bonitate, ac ſuauitate morum, velut fortiſsimis quibusdam vinculis, ſibi coniungit, conſociat, allicit. Iam autem, certa lege Numinis, quo quiſque faſtum animoſius calcarit, altius euehitur, & qui ſe infra mortales collocant, ſupra mortalitatem efferuntur, nullo vnquam æuo morituri. Viuas & tu votis noſtris Illuſtriſsime Præſul, illumque immortalitatis vſum tamdiu differri ſinæ dum Eccleſiam hanc tuam ſanctitate floridam, & Anteceſſorum tuorum pietate inſignem, Patriamq; tuam vniuerſam, grauis annis, longe clarioribus factis & virtutibus recrees; Securus de fama bona & gloria, quæ te manet indubitanter in vtraque vita immortalis.

FINIS.

